



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

LIII. Non licere Christianos ad nuptias euntes, cantare aut ballare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

LII.

Non oportet in quadragesima aut nuptias aut quælibet natalitia celebrare.

LIII.

Non oportet Christianos ad nuptias euntes, vel ballare vel saltare, sed caste cœnare vel prandere, sicut competit Christianis.

LIV.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, interesse; sed antequam thymelici ingrediantur surgere eos, & de conuiuio abire.

LV.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, vel etiam laicos Christianos, ex symbolis (quæ vulgus commensalia appellat) conuiuia celebrare.

LVI.

Non oportet presbyteros ante ingressum Episcopi ingredi, & sedere in tribunalibus, sed cum Episcopo ingredi: nisi forte aut ægrotet Episcopus, aut in peregrinis cum esse constiterit.

LVII.

Non oportet in villis & vicis Episcopos ordinari, sed visitatores, id est, qui circumeant, constitui: hos autem qui antehac ordinati sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi ciuitatis. Similiter etiam presbyteri nihil sine præcepto & consilio Episcopi agant.